

nisi ad descendentes transire. Nam contra est; tum quia hoc omnino gratis, & absque ullo Juris fundamentum dicitur; cum de hoc in Jure Canonico penitus nihil de hoc habeatur. Dispositio autem Juris civilis ex Novella. 7. cap. 3. fit invalida: tum quia penitus contrarium ex Jure Canonico deducitur; cum ibidem perpetua Emphyteusis expressè concedatur, & approbetur, can. 2. §. Perpetua, cau. 10. q. 2. c. Ad aures. 7. de Rebus Ecclesie alienand. & ibi Glossa. §. Hereditario, solumque prohibeatur, ne fiat absque debita Juris Solemnitate. Nulli eodem. §. c. 2. eod. in 6. qualiter etiam alie alienationes prohibentur. Unde sicut non obstantibus his prohibitionibus alie alienationes perpetue rerum Ecclesiasticarum ex natura sunt validæ, si debite adhibeantur solemnitates, ita circa Emphyteusim quoque res se habebit.

242 Resp. IV. Emphyteusis vitalitia quoque ad quoscunque hæredes transit, tamdiu vivit ille, ad cujus vitam Emphyteusis hæc cognoscitur concessa, etiamsi emphyteuta principalis prius moriatur, prout supra n. 132. jam diximus. Estque communis Ratio est; quia hæc species Emphyteusis cum Emphyteusim propriam seu perpetuam in omnibus, excepto tempore per speciale pactum determinato convenit, uti loc. cit. cum DD. ibidem allegatis jam notavimus.

243 Resp. V. Emphyteusis ex pacto vel providentia, item concessa ad certas personas, generationes, vel familias transit ad illos solos, quibus vi contractus Emphyteutici concessa est. Jul. Clarus cit. q. 28. nu. 23. & 24. communisque & certa aliorum. Ratio est; quia, cum contractus ex conventionem legem accipiunt Reg. 85. Jur. in 6. extra controversiam est, illos solos succedere, quibus solis in investitura jus succedendi conceditur.

244 Quæritur II. An in Emphyteusim succedant etiam femine? Resp. I. Affirmative; nisi in contractu specialiter, & positive excludantur. Jul. Clarus §. Emphyteusis. q. 32. n. 1. Covarruvias Variar. Resolut. lib. 2. cap. 18. n. 1. Alvar. Valat. de Jure Emphyteut. Molina Disp. 474. n. 9. & communior aliorum contra Baldum apud Jason. cit. Alexandrum, & alios à Covarruvia citatos. Ratio est; quia hoc ipso quod Emphyteusis transeat ad quoscunque hæredes; hæredis autem nomine veniant non tantum masculi, sed & femine, etiam hæc in Emphyteusim succedunt: præsertim cum nullo Jure reperiantur ab hac successione exclusæ, & Lex indistinctè loquens, indistinctè sit intelligenda arg. c. Quia circa. 22. de Privileg. Nec obstat, quod femine regulariter in feudis non succedant; quia universaliter non valet argumentum à feudis ad Emphyteusim, cum non eadem ubique militet ratio; Feudum enim, uti dicemus, datur pro servitio personali in bello, quod feminis non congruit; secus est in Emphyteusim.

245 Resp. II. Emphyteusis tam Ecclesiastica, quam Laicalis transit etiam ad feminas filias; etsi sit concessa cum hac clausula: Concedo Emphyteusim pro te & filiis tuis. Jul. Clarus cit. q. 32. n. 2. Covarruvias loc. cit. Molina loc. cit. n. 10. Alvar. Valat. de Jure Emphyt. q. 41. n. 3. Alciat. in L. 1. ff. de V. S. Tiraquell. lib. 1. de Retract. §. 1. Gloss. n. 206. Salicetus & alii. Ratio est; quia Pronuntiatio sermonis in sensu masculino ad utrumque servum plerumque porrigitur, l. Pronuntiatio. 195. in prin. ff. de V. S. & in specie nomine filii veniunt etiam filie. l. Si quis ita. 16. in prin. ff. de Testament. tutel. ubi pro generali doctrina dicitur: Filiorum appellatione & Filia continentur.

246 Dies in contractibus stricti Juris, qualis juxta nos est Emphyteusis, verba proprie, ac strictè accipienda sunt arg. l. Quidquid. 99. ff. de V. O. Filiorum autem nomine proprie non continentur filia, sed tantum per extensionem. cit. L. 195. de V. S. Ergo. Resp. concessa majore, negando min. quia non tantum per extensio-

nem, sed etiam proprie ac verè continetur filia nomine filii in sensu Juris cit. L. 16. prin. ff. de Testament. tutel. ibi: Filiorum appellatione, & filia continentur. Instabis. In contractibus & stipulationibus, quando verba sunt ambigua, interpretanda sunt contra stipulatorem, qui poterat verba aperta dicere, l. Veteribus. 39. ff. de Pactis. Resp. negando suppositum, quod nomen Filii sit ambiguum in ordine ad significandam etiam filiam, cum Jura expressè declarent, nomine Filii absque omni dubio etiam filiam comprehendendi, & contineri.

247 Quæritur III. An etiam illegitimi succedant in Emphyteusim? Resp. I. In Emphyteusim seculari succedunt etiam illegitimi eo modo, quo succedunt in alia bona defuncti. Molina Disp. 475. Clarus q. 30. n. 1. Decius, & communior aliorum. Ratio est; quia prorsus nulla reperitur in Jure prohibitio illegitimos magis à successione in Emphyteusim, quam aliis bonis arcens. Quando autem & quomodo in aliis bonis succedant dicitur infra Tit. de Testamentis, & Tit. de Successionibus ab intestato.

248 Resp. II. In Emphyteusim Ecclesiastica illegitimi non succedunt. Jul. Clarus q. 30. c. 1. Generaliter. §. Cum autem. n. 1. C. de Institut. & Substitut. Jason in L. 2. C. de Jure Emphyteut. Molina loc. cit. n. 7. Caldas de Nominat. Emphyteut. q. 19. a. n. 28. & communior aliorum. Ratio est; quia hoc ipso, quod Ecclesia omnes illegitimos utpote conceptos ex actu peccaminoso, maxime abhorreat & exotos habeat; uti patet ex variis Capitulis, præsumenda non est, generalibus verbis illos comprehendere velle, quos interrogata excludisset; uti communiter argumentantur DD.

249 Procedit Conclusio, etiamsi per rescriptum Principis sit legitimitas, Jul. Clarus q. 31. & alii n. præcedent. citati, cum in iis eadem adhuc, quæ in illegitimitis non legitimitas militet ratio. Secus est de legitimitate per matrimonium subséquens; prout cum communior aliorum docet Molina loc. cit. n. 16. Jul. Clarus §. Feudum q. 82. n. 4. Caldas loc. cit. q. 21. n. 35. Ratio est; quia quamvis & in his militet eadem ratio; nihilominus quia ob favorem matrimonii ab istis utroque Jure tam Canonico quam Civili omnis tollitur inhabilitas & poena, ita ut per omnia legitime natus æque parentur, etiam in Emphyteusim Ecclesiastica & seculari succedant, arg. Authen. Quibus modis naur. ff. de Inst. §. Si quis igitur. & c. Tanta, qui Filii sint legitimi. ibi: Tanta est vis matrimonii, ut, qui antea sunt legitimi post contractum matrimonium legitimi habeantur.

250 Quæritur IV. Quid Juris circa successorem Emphyteusis, si hæres aliàs legitimus Monasterium ingreditur? Resp. I. In Emphyteusim hereditaria succedit Monasterium, ita tamen, ut saltem post mortem Professæ, intra annum teneatur vendere, vel alio modo alienare Emphyteusim, Layman lib. 3. tract. 4. cap. 23. n. 15. Pirhing h. n. 53. Molina Disp. 482. n. 3. Clarus q. 33. & communior aliorum. Ratio est; quia cum, ut infra dicitur, Monasterium ceteroquin bonorum capax succedat in alia bona, non est ratio, cur non succedat in Emphyteusim hereditariam. Quod autem debeat intra annum vendere vel alia alienare, patet ex dictis supra n. 181.

251 Nec obstat, quod in investitura cautum sit, ne transeat in Monasterium, vel alias causas pias; Abbas in c. In presentia. 8. n. 7. de Probat. Layman, & Doctores citati. Ratio est; quia illa prohibitio intelligenda est de translatione libera, facta ab Emphyteuta vivente, non verò de necessaria, quæ ex dispositione Legis fit, moriente Emphyteuta. Vel intelligi debet de translatione, quæ Emphyteusim in perpetuum cum præjudicio domini directi transferatur in Monasterium: non verò de illa, vi cujus tenetur Monasterium eandem intra annum alienare.

252 Quæritur V. An possit Pater alicui ex liberis vel

extraneo Emphyteusim prælegare, aut donare? Resp. I. Emphyteusim hereditariam potest pater pro libito, cui vult, donare, legare, aut prælegare, Molina Disp. 478. n. 1. Layman loc. cit. n. 16. Jul. Clarus q. 16. dicens, ita absque controversia sentire omnes. Ratio est manifesta: quia hoc ipso, quod hæc Emphyteusim juxta dicta n. 232. & seqq. transire possit ad quosvis hæredes, potest de illa, sicut de aliis bonis (salvo jure domini directi) liberè disporre Emphyteuta.

254 Resp. II. Etsi Emphyteusis hereditaria non sit, sed familiaris, vel ex pacto, & providentia, nova tamen & impensis ipsius Emphyteutæ, aut saltem ipsius intuitu acquisita, potest eam emphyteuta alicui ex filiis donare, aut prælegare, vel etiam aliter, cum domini consensu in vivis adhuc de illa pro libito disporre. Jul. Clarus §. Emphyteusis. q. 16. n. 1. citans communem aliorum, Layman loc. cit. n. 16. contra Covarruviam lib. 2. Variar. Resolut. cap. 18. n. 2. Molina loc. cit. n. 2. & plures alios à Claro, & Molina citatos, arg. l. Nec emere. 16. C. de Jure delib. & de aduendo. Ratio conclusio est, quia per hoc, quod pater pro se aut filius suis comparat emphyteusim, non intendit ligare sibi manus, quin de tali Jure Emphyteutico suis impensis adquisito, quando vivit, pro libito disporre possit: sed tantum stipulare vult, quod si velit, filius aut certæ generationi relinquere possit, ad distinctionem Emphyteusis vitalitæ, aut concessæ ad certum tempus, quam, etsi velit, filius aut generationi certæ relinquere, perfectè nequit: utpote quæ expirat expirante tempore vel vitæ illius, ad quam concessa est.

255 Dicitur notanter, Nova tamen; quia Clarus & Layman citati limitant Conclusionem in Emphyteusim antiqua, id est illa, quæ à primo possessore emphyteuta jam transit ad alios: hæc enim, & sunt à successoribus cum præjudicio aliorum, qui in investitura vocati sunt, seu pro quibus Emphyteusis fuit à primo possessore comparata, etiam cum consensu domini directi alienari, aut legari contra sensum primæ investituræ non potest. Ratio est: quia omnes in prima investitura nominati, beneficio primi acquirentis acquisiverunt jus, cui præjudicare successor non potest. Quæ limitatio vera est: nisi primus successor Emphyteusim ipsa prælegasset, aut donasset, uti juxta conclusionem potuit: vel nisi cohæres filii, vel alii ad Emphyteusim jus habentes transeissent, & reliqui accepta affirmatione suæ portionis, totam Emphyteusim uni reliquissent; prout hodie communiter fieri solet.

256 Dicitur ulterius, impensis emphyteutæ aut ipsius intuitu acquisita; si enim à Domino Emphyteusis specialiter etiam intuitu, & in gratiam filiorum, gratis vel saltem minori pretio data esset, aut aliis ex investitura appareret, quod ea alicui certò, vel aliquibus relinquere necessarium debeat, certum est, quod ea in præjudicium talium in investitura nominatorum, prælegari aut donari nequeat: eò, quod, ita nominatis per investituram jus sit quæsitum, quo privati etiam de consensu domini non possunt: uti cum omnibus aliis Jul. Clarus quoque concedit.

257 Quæritur VI. Utrum filius, vel alius in Emphyteusim succedens teneatur de Emphyteusim satisfaccere creditoribus emphyteutæ defuncti? Resp. I. Affirmative, si est Emphyteusis hereditaria. Jul. Clarus §. Feudum. q. 43. eoque teste omnes. Idem patet manifestè; quia, uti infra dicemus de Testamentis, certum est, quod hæres teneatur satisfaccere creditoribus defuncti, de bonis, quæ titulo hereditatis acquisivit.

258 Resp. II. Si filius, vel alius successor Emphyteusim in primæ investitura, & non titulo hereditatis acquisivit, eò quod emphyteuta defunctus juxta n. 255. aliter de ea disporre non poterit, non tenetur ex hac Emphyteusim creditoribus defuncti satisfaccere, casu quo hereditatem, cum beneficio inventarii

adiit. Clarus loc. cit. communisque aliorum. Ratio est: quia, ut habet communis & certa DD. nullus successor tenetur debita antecessoris defuncti de bonis sibi alio, quam hereditatis titulo competentibus expungere: consequenter cum Emphyteusis, de qua est quæstio, alias jam titulo nempe investituræ, successoribus hujusmodi debeat, de ea minime teneatur debita antecessoris solvere, si cum beneficio inventarii hereditatem adit. Secus enim, sicut quisvis alius hæres, ita & ipse etiam de hac Emphyteusim, quin & de propriis bonis solvere haud dubie debet cuncta debita antecessoris, cujus hereditatem adit: uti claris Juribus vulgaribus habet certa & communis DD. Diciturque magis infra Tit. de Testamentis.

259 Quæritur VII. An etiam in Emphyteusim ex pacto & providentia succedat Monasterium, quod intravit aliis legitime succedens? Resp. In Emphyteusim ex pacto & providentia succedit quidem etiam Monasterium, sed non nisi quoad fructus & communitatem, ita ut iis, quando Religiosus vivit, frui possit: Emphyteusim tamen etiam de consensu domini alienare non valet, sed eo mortuo cedere debeat secundum ordinem illis, qui in investitura sunt vocati. Ita DD. cit. Patetque Conclusio ex dictis n. 255. ubi ostendimus, quod Emphyteusim antiquam ex pacto & providentia, etiam de consensu domini, in præjudicium vocatorum in investitura alienare non possit emphyteuta, sed fructibus & communitatibus illius quando vivit, contentus esse debeat.

260 Quæritur VIII. An, & quomodo à Prælati, seu Rectoribus Ecclesie in Emphyteusim concedi possint res Ecclesiarum? Resp. I. Quamvis absque legitima causa, & debitis Juris solemnitatibus nec ad tempus, nec in perpetuum de novo in Emphyteusim concedi possint res Ecclesiarum: fieri tamen licitè ac validè potest tam in perpetuum, quam ad tempus, exigente legitima causa, & adhibitis Juris solemnitatibus. Prima pars communis est ac certa, patetque clarè ex can. Apostolicos. 13. cau. 12. q. 2. & c. Nulli. 5. de Rebus Ecclesie alien. & Extravag. Ambitiose. eod.

261 Secunda pars, quod id fieri etiam in perpetuum possit existente legitima causa, & adhibitis Juris solemnitatibus, docet Jul. Clarus §. Emphyteusis q. 6. n. 4. Abbas in c. In presentia. de Probat. n. 29. Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. c. 17. n. 5. arg. can. Sine exceptione. 52. cau. 12. q. 2. c. 1. de Rebus Ecclesie alien. in 6. Clem. 1. eod. juncta Extravag. Ambitiose. Ubi quævis alienatio, etiam perfecta venditio, quæ dominium utile, ac directum simul alienatur, ne dum Emphyteusim, facta ex legitima causa, ac cum debitis Juris solemnitatibus, tanquam licita & valida approbatur. Nec obest Dispositio Civilis Novella. 7. cap. 3. quia ut supra n. 240. jam diximus, & plenius probat Abbas in c. In presentia. n. 28. de Probationibus. illa dispositio utpote ex se invalida, ac insuper revocata, penitus nullius est roboris. Quæ autem causæ ac solemnitates requirantur, plene dictum supra Tit. 13. §. 2. de Rebus Ecclesie alien.

262 Resp. II. Si res Ecclesiarum in Emphyteusim aliquando legitime concessæ, iterum redeunt ad Ecclesiam v. g. quia tempus est elapsum, vel quia deficiunt successores legitimi, potest Prælati Ecclesie eas de novo etiam absque Juris solemnitate concedere in Emphyteusim: dummodo eadem, vel similis utilitatis causa adhuc existat: consequenter non cum minori, sed cum eadem, vel majore evidenti Ecclesie utilitate Emphyteusis concedatur. Abbas in c. ut super. n. 11. de Rebus Ecclesie alien. Clarus q. 6. Pirhing h. n. 46. Azorius cap. 2. q. 8. & communior aliorum arg. cap. 2. de Feudis & Extravag. Ambitiose. de Rebus Ecclesie alienand. Ubi à prohibitione alienationis rerum Ecclesie excipiuntur res ab antiquo in Feudum

vel Emphyteusis dari solita. Ratio est; quia dum Prælatum rem aliquando in Emphyteusis legitime jam datur, denuo in emphyteusis concedit, non tam novam alienationem, quam executionem ordinationis antiquæ facere censetur; ut cum aliis bene argumentatur Abbas *lo. cit. arg. c. Consuluit. 7. de Judois.*

263 Dicitur autem notanter, *dummodo eadem vel similis utilitatis causa existat &c.* quia ut Emphyteusis antiquam de novo etiam abque solemnitate Juris concedere possit Rector Ecclesiæ, requiritur expressè *Extravag. Ambitiose. de Rebus Eccles. alien.* quod fiat cum Ecclesiarum evidenti utilitate, & c. 2. de Feudis, si videris expedire; non expedit autem Ecclesiæ, nec in ejus utilitatem vergit, si Emphyteusis ad Ecclesiam reverfa, de novo concedatur in Emphyteusis modo, vel cum conditionibus & clausulis, Ecclesiæ minus utilis, facientibus conditionem ejus deteriozem, ac prius erat: & ita tenere omnes, testatur Jul. Clarus q. 6. Hinc inferitur cum Abbate *loc. cit. n. 11.* & aliis, quod, si sterilis, & incultus Ecclesiæ fundus pro modico canone conceditur in Emphyteusis, ut colatur, & postea frugifer factus, ex aliqua causa revertitur ad Ecclesiam, non possit Ecclesiam pro eodem modico canone eum abque Juris solemnitate denuo in Emphyteusis concedere; quia nec eadem, nec similis causa, ob quam prius Emphyteusis pro modico canone concedebatur, amplius existit; prius enim pro tam modico concedebatur canone, ut ex sterili acquireret fundum sterilem Ecclesia; ergo postquam jam frugifer factus revertitur ex aliqua causa ad Ecclesiam, hæc causa non amplius existit. Pariter si Emphyteusis prius data privato, revertitur ad Ecclesiam, non potest postea dari potentiori vel alicui Communitati &c. quia fieret deterio conditio Ecclesiæ.

264 Dicitur verò eadem vel similis causa; quia necessarium non videtur, ut proliis eadem causa perduret; sed sufficit, quod sit similis, vel talis, ob quam eadem utilitas Ecclesiæ speratur, quæ ex priori Emphyteusis habebatur. Atque ita intelligendus est Abbas *loc. cit.* dum dicit, eandem debere subsistere causam: nam *Extravag. Ambitiose. de Rebus Eccles. alien. c. 2. de Feud. præcisè* requiritur, ut fiat cum Ecclesiæ utilitate; ex quacunque dein causa utilitas proveniat.

265 Porro quandonam censetur Emphyteusis antiqua, seu res ab antiquo in Emphyteusis dari solita, controvertunt DD. Aliqui eorum cum Abbate *loc. cit.* volunt, sufficere, quod res semel data sit in Emphyteusis. Alii verò cum Jul. Claro putant, requiri, quod res bis saltem jam sit concessa in Emphyteusis; vel si semel tantum concessa dignoscitur, saltem per 40. annos talem Emphyteusis quis habuerit. Abbatis, & sequacium opinio fundatur in c. 2. de Feudis. ubi plus non requiritur, quam quod res prius in Feudum sit concessa. Jul. Clar. & consentientes fundant se in *Extravag. Ambitiose*, ubi expressè requiritur, quod sit talis res, quæ ab antiquo in Emphyteusis dari est solita; non autem verè dicitur solita, si semel tantum fuit concessa; ergo. Quæ sententia probabilior videtur, & tecurior, adeoque in praxi tenenda, præferim, cum Lex posterior, qualis est *Extravagans Ambitiose* respectu c. 2. de Feudis, deroget priori, *arg. c. Licet Romanus. de Constitut. in 6.* & hæc juxta illam, interpretationem fumere debeat, prout amplius diximus in *Proæmio §. 12.*

266 Resp. III. Quando Emphyteusis ad Ecclesiam reverfa applicatur ad Mensam Prælati, Episcopi, vel Ecclesiæ, non potest amplius abque Juris solemnitate de novo in Emphyteusis concedi, quantumvis prius, & ab antiquo in Emphyteusis dari sit

solita. Abbas in *cit. c. Ut super. 8. n. 9. & 10. de Rebus Eccles. alien.* Azorius *lib. 10. cap. 3. q. 2. Pirhing h. t. n. 49.* & communis aliorum. Ratio est; quia hoc ipso, quod incorporetur aliis bonis Ecclesiasticis ad Mensam pertinentibus, induit naturam & qualitatem eorum: hæc autem abque Juris solemnitate in Emphyteusis concedi nequeunt, per ea, quæ dicta sunt supra num. 260. ergo. Pro majori intelligentia hujus Conclusionis

267 Notandum, quod aliqua bona Ecclesiastica dicantur ad Mensam Ecclesiæ, Capituli, vel Monasterii &c. pertinere, aliqua ad Mensam Prælati, vel Episcopi &c. Primi generis sunt illa bona, & redditus, qui sunt destinati ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, vel Canonicorum Capituli, vel Religiosorum Monasterii, & pertinentium ad eos. Secundi generis sunt bona & redditus, quæ propriè sunt destinati & spectant ad sustentationem Prælati, vel Episcopi &c. Azorius *lib. 10. cap. 2. q. 1. & alii.* Bona verò, quorum solum dominium directum, ad Ecclesiam, vel Monasterium spectat, utile autem ad extraneum, non dicuntur esse de Mensa Ecclesiæ vel Prælati: uti habet Glossa in *Clem. 1. §. Ad mensam. de Excess. Prælat.* Abbas in *c. Ut super. n. 9. de Rebus Eccles. alien.* Quando igitur talia bona ad Ecclesiam, etiam quoad dominium utile reverfa, applicentur sustentationi ministrorum Ecclesiæ, vel Canonicorum Capituli, aut Religiosorum Monasterii, aut Prælati vel Episcopi &c. dicuntur fieri, & esse de Mensa ipsorum. Porro applicatio seu destinatio bonorum ad certam Mensam variè fieri potest, videlicet vel per dispositionem Episcopi cum consensu Capituli, vel per præscriptionem, vel per concessionem aut Privilegium Papæ, ut bene notat Glossa *lo. cit.* Postquam ergo bona Emphyteutica ad Ecclesiam reverfa ita applicentur ad alquam Mensam, amplius sine Juris solemnitate in Emphyteusis dari nequeunt, prout habet Conclusio. Et hæc de Emphyteusis dicta sufficiunt. Qui plura de hac materia desiderat, copiosè reperiet apud Jul. Clarum *lib. 4. §. Emphyteusis.* Milnam *Disp. 444.* Alvar. Valaf. *de Jure Emphyteus.* & alios.

TITULUS XIX.

De Rerum Permutatione.

- 1 Ratio ordinis.
- 2 Permutatio duplex strictè & late sumpta.
- 3 Strictè sumpta definitur.
- 4 Est contractus innominatus.
- 5 Bonæ fidei.
- 6 Ad permutationem requiritur res certa in specie.
- 7 Permutatio distinguitur à contractu, ut des.
- 8 Requiritur ad ejus substantiam actualis traditio rei, ante quam secutam licet adhuc resillire de Jure Civili.
- 9 Non item de Jure Canonico.
- 10 Omnis res certa, in numero, pondere, vel mensura non consistens.
- 11 Quæ vendi, etiam permutari potest.
- 12 Exceptè res aliena, quæ vendi quidem, non tamen permutari potest.
- 13 Res ad invicem permutandæ debent ambæ esse certæ, ac non fungibiles.
- 14 Res spiritualis pro temporali permutari non potest.
- 15 Bene tamen pro alia re spirituali.
- 16 Dummodo fiat cum debita Juris solemnitate, casu quo spiritualia bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum permutantur.
- 17 Bona Ecclesiastica cum debita Juris solemnitate permutari valent.
- 18 Solvitur instantia.

- 19 Quænam requiratur Juris solemnitas; Remissivè.
- 20 Minor causa sufficit ad permutandam, quam vendendam rem Ecclesiasticam.
- 21 Rem Ecclesiasticam male permutans, antecreditorem non incurrit pœnas Juris.
- 22 Mancipia Ecclesiastica, quæ ratione permutari valeant?
- 23 Ab absurdo valet argumentum.
- 24 Servi Ecclesiastici fugitivi permutari valent.
- 25 Dux Ecclesiæ vel Beneficia quoad proprietatem possessa possunt ita commutari, ut excessus unius pecuniâ compensetur.
- 26 Secus est in Beneficiis quoad titulum possessis.
- 27 Non requiritur necessariò duplex contractus.
- 28 Sunt, qui putant etiam in Beneficiis quoad titulum possessis fieri posse permutationem ita, ut pinguius recompensetur pecuniâ.
- 29 Statuitur sententia negativa.
- 30 Confirmatur.
- 31 Solvitur fundamentum Adversariorum.
- 32 Confirmatur ulterius.
- 33 In Permutatione Beneficiorum potest dimittenti pinguius Beneficium constitui penso.
- 34 Permutare possunt omnes, qui specialiter non prohibentur.
- 35 Qui emere & vendere non possunt, permutare possunt.
- 36 Res Ecclesiasticas permutare possunt, qui eas alienare possunt.
- 37 De Permutatione Beneficiorum remissivè.
- 38 Propter gravem causam potest Episcopus cogere Beneficiorum ad resignandum.
- 39 Etiam si Beneficiarius sit sine culpa. Bonum commune præferendum est privato. *Ibid.* Propter scandalum relaxanda, ac dimittenda sunt Jura. *Ibid.*
- 40 Si aliâ viâ jurari potest, nullus cogendus est ad permutandum.

3 Quandoquidem non tantum locatio conductio, sed etiam Permutatio vicina est Emptioni *L. 2. ff. h. t. reço* ordine præcedentes duos Titulos prærens sequitur, circa quem

2 Notandum prius, Permutationem dupliciter, strictè nempe, ac late sumi posse. Latè sumpta importat omnem contractum, quo una res quæcumque tandem, sive in genere, sive specie pro altera datur. Molina *Disp. 396. n. 1. & 2. Pirhing h. t. num. 1. & communiter alii cum Glossa in Rubr. C. h. t. Strictè sumpta est, quæ una certa res pro alia certa re datur. In præsentî agemus de Permutatione strictè sumpta. De qua*

3 Quæritur I. Quid sit permutatio? Resp. I. Permutatio est contractus innominatus bonæ fidei, quo una certa res in specie pro aliena certa re in specie datur. Patet descriptione bonitas ex ejusdem declaratione. Dicitur Contractus loco generis, in quo cum omnibus contractibus convenit. Est enim Permutatio verus contractus §. 2. *ff. Diverse Inst. de Empt. & vendit.* ubi dicitur: Permutationem esse propriam speciem contractus, ut proinde eandem à contractibus immeritò excludat Faber *lib. 6. Conject. cap. 9.*

4 Dicitur innominatus, quamvis enim hic contractus in Jure speciale videatur habere nomen; cum in utroque Jure specialibus Titulis agatur de Rerum Permutatione, tamen communiter à DD. inter contractus innominatos numeratur *arg. L. 1. §. 2. ff. h. tit.* Ratio est; quia, ut inquit Abbas & Glossa communiter recepta in Rubrica h. t. nomen Permutationis nimis generale est convenientibus omnibus, quæ inter hominum manus versantur. Vide, quæ diximus *Lib. I. Tit. 35. §. 5. de Pactis. n. 109. & 110.*

Dicitur bonæ fidei; eò quod contractibus bonæ fidei expressè annumeretur Permutatio §. *Actio. num. 28. Inst. de Actio.* ubi aperte dicitur, quod actio bonæ fidei dicatur etiam ea, quæ ex Permutatione competit; & notant DD. communiter, signanter Pirhing *h. t. n. 2. Engel. h. t. n. 2.* prout etiam nos supra citato *Lib. I. Tit. 35. §. 6. de Pactis.*

Dicitur quo una certa res in specie, pro alia certa re in specie datur. Ubi per rem in specie intelligitur res certa ac determinata in individuo, v. g. hæc domus, hic equus; quia quod Philosophi individuum, hoc Legitæ speciem nominant; & quod illi speciem, hoc isti genus vocant. Debet ergo res certa pro alia re certa dari ad hoc, ut sit rerum Permutatio; secus enim erit contractus innominatus do, ut des: sic v. g. si datur certus equus pro certo equo, vel bove vel cane certo; vel si datur domus certa pro alia domo certa, vel si domus pro agro, vinea, prædio certo & erit Permutatio: si vero datur equus indeterminatus pro alio equo indefinitè sumpto, vel etiam unus determinatus pro alio in determinato; erit contractus innominatus do, ut des, Glossa *in. communiter recepta in L. 1. C. h. t. Pirhing h. t. n. 2. Welensbecius, Vultejus, & alii.* Ratio est, quia Permutatio est perfecta mutatio (nam dictio per denotat perfectionem *l. Urbana. ff. de V. S.*) qualis Permutatio perfecta non est, quando convenitur mutuo pro tradenda re in genere.

Ex quo colliges rationem differentie contractus permutationis à contractu innominato do, ut des. Non desunt quidem qui docent, Permutationem, & contractum do ut des, esse eundem contractum, ut videre est apud Z. eum in *ff. h. t. n. 4.* Verum hi audiendi non sunt: tum ob rationem jam dictam; tum quia Permutatio est contractus bonæ fidei; contractus autem do ut des strictè Juris *arg. §. Actio. num. 28. Inst. de Actio.* Tum etiam, quia de his distincti in Jure reperitur Tituli; & de Permutatione quidem *ff. lib. 19. Tit. 4. & C. lib. 4. tit. 64.* De contractu do ut des verò *ff. de Præscriptis verbis.* Nec obstat quod subinde Jura videantur confundere præfatos duos contractus. Respondetur enim illa Jura loqui de Permutatione late sumpta.

Dicitur datur; quia Permutatio non nudo consensu perficitur, ut Emptio Venditio, sed requiritur actualis rei permutatæ traditio, quæ donec sequatur, licitum est permutantibus (loquendo de Jure Civili) pœnitere, seu à contractu resillire, textu claro *l. Ex placito. 3. C. h. t. ibi: Ex placito Permutationis, nulla re secuta, constat, nemini actionem competere.* Concordat *L. 4. §. 5. C. eod. & L. 1. §. fin. ff. eod.* Ratio est; quia donec sequatur traditio, est & manet nudum pactum, & quo ex Jure Civili non datur actio, *l. Juris gentium §. Sed cum nulla. ff. de Pactis. ibi: Igitur nuda pactio obligationem non parit.* Imò est unus permutantium rem suam alteri jam tradiderit, sicque ex parte sua contractum impleverit, licitum adhuc est saltem huic, qui ex parte sua contractum jam implevit, non item alteri pœnitere, vel, si mavult, alterum actione præscriptis verbis scogere, ut & ipse contractum ex sua parte adimpleat, prout supra *Lib. I. Tit. 35. num. 113.* diximus.

Dicitur autem notanter num. præcedenti de Jure Civili licet pœnitere; quia de Jure Canonico etiam ex nudo pacto datur actio, & unus altero invito resillire, vel pœnitere nequit, prout amplius diximus citato *Tit. 35. de Pactis num. 37. & num. 114.* ac seq. ubi etiam addidimus, idem hodie & in foro Civili praticari.

Quæritur II. Quænam res ad invicem permutari